









15579.

1704 19  
27

ORDINIS JURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
p. t.

DECANUS  
JO. BALTHASAR  
VVERNHER,

J. U. D. Institut. Imper. Prof. Publ. Cur-  
riæ Provincialis & Scabinatus Electo-  
ralis Saxonici Assessor

LECTORI BENEVOLO

S. D.





ORDINIS IURIDICI  
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS  
DECANUS  
J. H. W. L. S. A. S. A. R.  
V. M. P. H. R.  
J. H. W. L. S. A. S. A. R.  
die Procurator & Schatzmeister  
ELECTORI BENEVOLO  
S. D.







Um singulari quadam nostrorum temporum, & iis veluti propria felicitate e-  
venerit, ut omnes prope-  
modum artes & discipli-  
næ incredibili ingeniorum  
contentione & studio ad fa-  
stigium suum propius accesserint, tum vero Ju-  
risprudentia præsertim, antiquis temporibus  
oppressa, et infinitis fabulis corrupta caput ex-  
tulit, pristinoque, quem apud Veteres Romanos  
obtinebat, flore recepto, in speciem tam exqui-  
sitam adornata est, ut nihil ipsi sive ad demon-  
strandi vim, sive ad puritatem elegantiamque,  
& veluti nativum candorem suum deesse videatur.  
Qua in re maxima Divinæ hujus scientiæ  
commutatio, conversioque facta est. Olim  
enim, præcipitante senescenteque Imperii Ro-  
mani fortuna, ejusque sede in Thraciam, tan-  
quam in alium Orbem, delata, Jus etiam Vetus  
Civile antiqvæ Romanorum Reip. accommo-

A 2

da-



datum, consignatumque Latinis literis, Populus Græcus, qui ejus sermonis usum minus caleret, paulatim de possessione dignitatis suæ deiciebat; ita ut Civilis sapientia pasim contempta, neglectimque habita magis in secessu & otiosis disputationibus studioforum hominum, quam in aliqua populari luce, usque & frequentatione judiciorum jactaretur. Sed feliciora deinceps tempora consecuta sunt, nec permiserunt fata, ut cum ruente Imperio Juris quoque disciplina, tanto labore & studio a pristinis Juris exculta, & pene perfecta collaberetur atque succumberet. Quamobrem existimem, Divino quodam munere Justinianum ad emendandi instaurandique Juris consilium curamque excitatum fuisse, ut disciplinæ jam prope expiranti atque interituræ vitam & lucem redderet, conservaretque. Sic ergo eadem incredibili labore & studio, supervacaneis subtilitatibus præcis rejectisque, dubiis Juris articulis explicatis, pristinarumque altercationum strepitu sopito, ad usum forenses denuo accommodata, novisque prædiis instructa, munitaque est. Quæ res quantum ad lites definiendas, omnemque vitam Civilem compendium attulerit, argumento est, quod pleraque regna, quæ post occasum Imperii Rom. exorta atque constituta sunt, Juris Romani reliquias, veluti morum magistras, optimæque disciplinæ effectrices magna æmu-





æmulatione receperint, ejusque summa æquitate cognita, perspectaque, non aliam in judicandis controversiis normam viamque se-qui maluerint. Ex eo præsertim maximum Jurisprudentiæ decus ornamentumque accessit, quod aliqua nostra ætate ingenia altiori velut spiritu acta, barbaram vulgarium Interpretum tractandi rationem omiserint, propriaque & eleganti oratione Jus nostrum illustrare aggressa sint. At enim quantumvis maxima, quibusve meliora vix optari queant, ad excollandam hanc disciplinam præfidia inventa sint, nescio tamen quomodo pauci hodie ad veram atque apud posteros duraturam ejus laudem perveniunt. Et primum quidem illud mihi maximam studio Juris Civilis remoram injicere semper visum est, quod plerique hodie præclaris illis, quæ ad humanitatem pertinent, studiis insuper habitis neglectisque continuo & illotis veluti manibus ad Juris disciplinam festinant; qui cum in magno errore versentur, milleque se difficultatibus implicant, sero nimis a recta se via aberrasse intelligunt, & velut in oceano hujus studii jactati nunquam felici cum successu ad portum perveniunt, nec sane eorum, qui elegantia hæc studia contemnunt, nihilque ea aut saltem parum commodi ad Juris studium afferre volunt, infulsæ oratio audienda est; cum verius, quid sibi desit, ostendere, quam rectam



ingrediendi hæc studia viam aliis præscribere sciant. Experientia sane, stultorum quoque Magistra, compertum est, eos, qui harum artium doctrina & exercitatione ingenia exculta & præparata ad hanc disciplinam afferunt, incredibili celeritate alios præcurrere, neque ulla difficultate objecta, optatas in ea progressionem facere. Magnum præterea adjumentum præsidiumque ad excolendam Civilem sapientiam negligunt, qui fontes Naturæ, ex quibus universum Civile Jus profluit, atque in hanc se amplitudinem vastitatemque diffudit, contemnunt, iique fere in firmis legum demonstrationibus reddendis, menteque & sententia legum recte eruenda sæpenumero hæerere solent. Vere enim, magno ingenio ita judicante, leges hæc insitæ conatæque reliquorum jurium norma & fundamentum sunt, quæ specialibus juribus tantum dignitate antistant, quantum omne genus humanum una civitate, totiusque civitatis salus & tranquillitas singulorum civium incolumitate potior est. Sed trita hæc & pervulgata sunt, neque eadem pluribus exequi, angustia, qua circumscribor, permittit. Nam progrediendum mihi, & quæ obstacula in ipsa Juris Civilis tractatione occurrere soleant, breviter ob oculos ponendum est. Ubi ea difficultate plerosque implicari video, quod rude adhuc & inex-



inexercitatum ingenium varia huc illuc diva-  
gante lectione obruant, & in infinita illa rerum  
multitudine, tanquam oceano, sine certa via ja-  
ctentur, paulatimque, cum immensum proli-  
xumque laborem felici successu destitui intelli-  
gunt, præcepta desperatione langvescant, stu-  
diorumque, ut eos Imperator vocat, desertores  
efficiantur. Cui juvenum errori idoneo reme-  
dio occurrendum est, ut summas quasdam re-  
rum, velut in corpus redactas, sibi proponant,  
ut totius operis veluti brevis forma animo  
comprehendi, memoriaque recte teneri possit.  
In quo tamen novus scopulus, ad quem non  
paucos naufragium facere videas. Multi enim,  
ut rerum seriem justa dispositione, quam sibi  
quidem figurant, & persvadent, animo concipi-  
ant, genuino fonte, h. e. ipsis legibus relictis ne-  
glectisque, ad Methodicos libellos, qui maxi-  
mo numero hodie prodire solent, tanquam ad  
impuros puteos, & lutulenta stagna dilabuntur,  
iisque innutriti nunquam in casibus definien-  
dis solidam rationem, quippe quæ ex ipsis LL.  
petenda est, reddere norunt. Quocirca ipsa  
potius vox Legislatoris audienda est, inque va-  
stissimo hoc studio summæ rerum ex ipso tex-  
tu proponendæ sunt, ut intelligant juvenes, fi-  
nitum jus nostrum esse, ardentique studio &  
pertinaci industria facile pervestigari atque co-  
gnosci posse. Quam viam qui institerit, multo  
feli-



165  
felicius se progressum esse, tandem intelliget, quam omnes istos pragmaticos & desultorios lectores, qui nunc aliquem Juris textum, nunc glossam, modo decisiones, jam consilia & nescio quæ alia magno labore evolvunt & versant, & nescio quid sibi consecuti esse videntur, ceterosque tanquam ἀναλφαβήτης & elementarios alto supercilio despiciunt. Qui homines Juris ignorantem, in qua versantur, cum alias manifeste produnt, tum vero eandem occultare non possunt, quando de ancipiti & difficili quæstione, quæ infreqvens in foro sit, judicium in contenti ferendum fuerit. Nec sane hi in dubiarum legum explicatione quicquam solide expediunt, sed servi instar pecoris, quo repertoria & ordinaria, ut vocant, sedes eos ducunt, sequuntur, in iisque omnis eorum sapientia comprehenditur & lateret. Nec vero paulo majus obstaculum. impedimentumque Civilis Sapientia est, quod plerique in legibus per congruam Analysin evolvendis explicandisque sine ordine, nulloque materiarum ordine servato, versantur, sequæ haud raro in iis declarandis, demonstrandisque, & ab ultima historia repetendis torquent, quæ dudum contrariis Legibus antiquata a consuetudine recesserunt; in quo sæpe eorum, qui ad vitam & actiones forenses sua studia referre debent, simplicitatem & miseram industriam mirari subit. Ego enim in  
omni



omni vitæ genere turpe esse existimo, difficiles  
habere nugas, & stultus labor est ineptiarum,  
ut nonnemo argute dicere convevit; Mul-  
to enim plus mihi sapere ille videtur, qui  
ignorat, ex quo cognito nullum neque ipse, ne-  
que alii fructum habiturifunt; quam illi, qui in  
eo eruendo perdiscendoque omnes animi ner-  
vos atque laborem stolide profundunt. Quam-  
obrem in obsoletis istis Juris antiqui formulis,  
& perplexis involutisque veterum. Ictorum dispu-  
tationibus non multum temporis collocandum  
esse existimo; præsertim quando nondum solida  
Jurisprud. fundamenta jacta sunt, atque ad vitæ  
Civilis usum omnis rerum cognitio conferen-  
da est; cum nihil magis solemne hodie sit, quam  
ut juvenes e medio studiorum cursu ad Civi-  
lem vitam revocentur; ut proinde in steriles, inu-  
tilesque Juris partes nonnisi delectationis fortasse  
causa deferri, in easque explorandi magis, quam  
commorandi causâ breviter aberrare liceat.  
Nec vero parum juris difficultatem auget, quod  
plerique superioris ætatis Interpretes, quibus  
tamen carere non possumus, tenebris suorum  
temporum involuti pleraque incondite, sine  
certo ordine & aliqua veluti luce tractent; plus-  
que operæ passim in verborum, quam rerum  
explicatione consumpserint; Qua ex re recen-  
tioribus quibusdam Interpretibus tantum fasti-  
dium obrepfit, ut passim in scriptis suis confu-

B

fas





fas illas veterum Doctorum interpretationes traducerent, exagitantque; quamvis hi, si verum fateri libet, per sæpe plus ingenio suo, quam utilitati serviant, magisque ad ostentationem subtiliter contra veteres disputare, quam ad finem in vita civili utilem doctrinam suam referre videantur. Juventus sane, quæ nondum subactum, confirmatumque judicium habet, in tempestiva Interpretum lectione oneranda non est; ne a fundamentis recte solideque jaciendis alienissimo plane tempore revocetur & abducatur. Provectoribus autem liberior campus aperiendus est, illique non parum suis rebus consulunt, si ante, quam in forum ad causas orandas prodeant, paucorum, sed optimorum Interpretum scripta perquirant, & quomodo argumentorum copia eadem instruendæ, quæ via judicium animi permovendi sint, diligenter hauriant, addiscantque, & in iis præsertim, quæ ad usum potiora sunt, immorentur, reliquas difficiles implicatasque rerum hac ætate obsoletarum disputationes perfunctoria lectione dimittant; sic enim non parum se ad operam forensis recte & cum clientum fructu collocandam se adeptos esse, ubi in luce & hominum celebritate vivendum fuerit, intelligent. Enimvero hæc prolixius exequi, & chartæ angustia, & instituti ratio prohibet, atque ad ea, quæ ad commendandum Nobilissimum, Clarissimum-



simumqve Virum , Dn. JO. GODOFREDUM NEUMANNUM pertinent , properare jubet. Patriam illi fors nascendi dedit BUDISSAM A. M. DCLXXIV. quæ inter urbes LUSATIÆ eminent , & facile Principatum inter cæteras tenet. Patrem nactus est Consultissimum Nobilissimumqve Virum , Dn. ISRAELEM NEUMANNUM , qui fide sua , agendiqve dexteritate , qva longo jam tempore in suprema Præfectura , qvæ Budissæ est , versatur , singularem sibi laudem apud veros virtutum existimatores conciliavit ; Matrem vero ROSINAM , ex Nobilissima TIZIORUM stirpe oriundam. Ab his Parentibus mature studiis dicatus , fideiqve Clarissimorum Virorum , WAGNERI , GRUNEWALDI , & ROSENBERGII commissus brevi indolis industriæqve laude æquales suos superavit , atqve ita exsplenduit , ut quisqve eum talem futurum consideret , qvalem cognitum judicarat. Qvocirca jactis studiorum , quæ ad humanitatem pertinent , fundamentis , cum solemnî Oratione *de XII. Tabb. Origine* , Patriæ suæ valedixisset , in Academiam Lipsiensem , tanquam ad mercatum Optimarum Artium Disciplinarumqve A. M. DCIC IV. profectus , & a D. SCHMIDIO , Theologo Consummatissimo , qui eo tempore fasces publica auctoritate tenuit , in numerum studiosorum receptus est. Tum vero in



perpetuo studiorum cursu assiduus fuit, & præclare intellexit, sine magno labore nemini unquam ad magna iter, accessumque patere. Hoc consilio Philosophos primum, qui Lipsiam ornant, summo ingenio doctrinaque Viros adiit, & cum primis in Celeberrimi HARDTII scholis diligenter versatus est, ejusque ductu in sapientiæ disciplina sic profecit, ut cæteris, quibus ætatem in illo studio consumere constitutum erat, exemplo esse posset. Quo factum est, ut supra alios mature emereret, majoremque indies laudem adipisceretur, illisque artibus enitesceret, quæ summum in vita decus habent, quarumque tam late utilitas, quam splendor, dignitasque earum patet. Præsertim vero rationis disciplinam, quæ animum erectum decet, & prudentiæ interiores artes, in quibus nervi rerum bene gerendarum positi constituti que sunt, assidue sectatus est, dicendi que egregium decus adjunxit, & pro ea, quam ab ipsa natura accepit, oris suavitate, omnia, quæ animo percepisset, excellenter pronuntiare didicit. His præfidiis instructus Noster ad rerum humanarum Divinarumque scientiam se applicuit, summisque Jureconsultis ITTIGIO, MENCKENIO, SCHACHERO, TITIO non interrupto industriæ ordine adhæsit, illisque firmitudinem animi sui, constantiamque haud vulgarem demonstravit, cum omnes difficultates patiando vinceret, & tempus,



pus, cujus jactura sumptuosissima est, recte sapi-  
enterque collocaret. Neque etiam ex solis præ-  
ceptis, & doctrinæ regulis sapere voluit, sed me-  
mor, rationes studii Juridici ad vitæ usum com-  
parandas esse, DITHMANNUM adiit, ejus-  
que singularem in negotiis forensibus dexterita-  
tem ad imitandum sibi proposuit, ab eoque  
omnes illorum artes, qui in foro causas orant,  
atque ex ipsis rerum commentariis sapiunt, ad  
agendum cavendumque percepit. Sic cum se  
gereret, otioque & animi quiete contempta,  
per se ipse niteretur, multorum oculos in se  
convertit, magnamque sui expectationem & spem  
in animis omnium excitavit; quam ut sustineret,  
vel plane vinceret, diligentiam suam  
non unius Academiæ studiis terminandam es-  
se existimavit, sed, relicta Lipsia, Vitembergam  
concesit. Hic vero brevi se a vulgo sejunxit,  
& cum in obscuro latere nollet, ut pasim in-  
notesceret, & in hominum ore ac sermonibus,  
adeoque in celebritate versaretur, vitæ ratio-  
ne, quam sectatus est, & constanter tenuit,  
mature effecit. Nam cum alii in otio, & vo-  
luptatum illecebris, quibus nulla capitalior pe-  
stis est, volverentur, ipse propositi sui tenax o-  
peram studiumque suum ad propius noscenda  
Juris Principia contulit, in eoque instituto ab In-  
comparabili HEBERO, qui suo ex hac vita di-  
gressu & auctoritatis, & prudentiæ suæ triste no-  
bis desiderium reliquit, præclare adjutus est. Et



præter eum Viros Celeberrimos, longoqve re-  
rum usu, atqve doctrina Præstantissimos,  
STRAUSSIUM, BERGERUM, HORNIUM,  
ac SVEVUM sedulo audit, eorumqve omni-  
um, nec non Consultissimi SEEBACHII  
fidem & singularem in docendo dexteritatem  
grata mente recolit, atqve deprædicat. Ipse  
vero industriæ suæ studiorumqve fructum  
mature percepit, atqve ad Examen, qvò illis,  
qvi clientum causam in foro agere cupiunt,  
publica lege imperatum est, admissus recte ste-  
tit, & facultatem, qvam petierat, haud difficul-  
ter obtinuit. Inde rebus præclare, & magna  
cum laude gestis, optimarumqve artium scien-  
tia instructus in patriam reversus est, cumqve  
eruditionis suæ præstantia, morumqve ac vitæ  
integritate omnium benevolentiam atqve fa-  
vorem facile sibi conciliaffet, factum est, ut in nu-  
merum Ordinariorum, quos vocant, Advocato-  
rum in Curiis Patriæ cooptaretur. Ex quo  
tempore ingenii sui vim, atqve vigorem, & in  
tuendis causis sibi commissis dexteritatem fi-  
demqve palam ostendit, neqve ulli labori suc-  
cubuit, sed difficillimis negotiis, quæ quidem  
suscepisset, se parem demonstravit. Quocir-  
ca mirandum non est, si multorum, & cum pri-  
mis Celeberrimi Viri, ac Jureconsulti Summi,  
PLAZII, nec non Jurisprudentissimi Consulis,  
HEINRICI favorem ac patrocinium exper-  
tus est. Quo nomine maximum se fortunæ bene-



beneficium debere ultro fatetur, neque tantorum & tam bene de se meritorum Virorum memoriam unquam ex animo suo descensuram, identidem confirmat. Si instituti ratio, & tempus sineret, plures commemorare possem, qui singulari benevolentia Nostrum complexi in eruditum consortium suum eundem admiserunt, omnibusque officiis & studiis certatim coluerunt, præsertim cum vitæ elegantia, & morum suavitate ad seculi hujus genium apprime facta animos facile allicere, eorumque favorem sibi conciliare sciat. Quod vitæ curriculum ratione ac mente perspicaci semel ingressus, illud usu ac rerum Reip. utilium tractatione hæcenus confecit, & quicquid usquam præstans atque decorum reperiret, in suam utilitatem prudenti consilio convertit, ut quo longius in virtutis campo progredere, eo minus sibi conquiescendum, sed acrius instandum, omniaque obstacula perumpenda esse duceret, donec metam, quam animo sibi defixerat, consequeretur. Tam bene sapienterque constitutis vitæ rationibus multorum svasu hortatuque Noster summos honores, quos jamdiu virtute atque diligentia sua promerebat, petere decrevit. Quo consilio huc Vitembergam rediit, & ab Ordine nostro verecunde petiit, ut via ipsi ad ea Specimina, quæ more a Majoribus accepto, Candidatis Juris edenda sunt, panderetur. Quæ venia haud difficulter impetrata, expectationi, quam omnes, qui ipsum propius



pius norant, conceperant, ex asse respondit, atque spes ipsi facta est, fore, ut omnibus rite peractis voti sui damnaretur, summaque Juris prudentiæ insignia capefferet. Hinc nulla in ipso mora erit, sed proximo die Jovis, fortunante Deo, Dissertationem Inauguralem *de Probatione per testes caute instituenda*, Præside Viro Magnifico, Excellentissimoque DN. CASP. HENRICO HORNIO, *ſcto Celeberrimo, Curia Provincialis, Scabinatus, & Facultatis Juridica, nec non Judicii Provincialis in Marchion. Inferioris Lufatiæ Aſſeſſore Longe Graviffimo, Dn. Patrono atque Collega Noſtro omni obſervantia & cultu proſequendo*, publice & ſolemniter habebit. Cui Actui ut Magnificus Academiae hujus Pro-Rector, Per-Illuſtres Lib. Barones, Patresque & Cives reliqui intereſſe, atque Candidato eruditum certamen inituro favere velint, ſubmiſſe ac peramanter rogo. Cujus beneficii memoriam ego cum Univerſo Ordine Juridico, & Candidato Noſtro diligenter conſervabimus, nullamque eidem mutuo omnibus officiis ſtudiisque reſpondendi occaſionem prætermitemus.

P.P. Dom. XX. Trinitatis, A.

M. DCC IV.

---

LITTERIS GERDESIANIS.













ULB Halle  
006 779 824

3



1098









15579.

1704 19 27

ORDINIS JURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI



S  
ASAR  
ER,  
f. Publ. Cu-  
us Electro-  
OLO

